



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118898**

§. 44. Perronii Cardinalis Oratio pro auctoritate Sedis Apostolicæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

## §. XLIV.

Sæc. XVII.  
A. C. 1614.*Perronii Cardinalis oratio pro auctoritate Sedis Apostolicæ.*

Hæc controversia ingenti strepitu utrinque ab Oratoribus agitabatur, nullo tamen in Regni utilitatem ex hæc quæstionum vanitate proventu, in quo vel maxime carpendi Ordinum Delegati, qui non eo fine ad comitia fuere vocati, ut trium Franciæ Ordinum conventus transferrent in Scholasticorum altercationes. Inter ceteros vero tam Ecclesiasticos quam Nobiles, elegantius, magisque erudite pro Pontificia auctoritate nemo unus perorabat præter doctissimum Cardinalem Perronium, qui die vigesima nona Novembris in Nobilium conventu hæc exposuit: „Propositio secunda nequaquam de fide est, ex Innocentii autem tertii rescripto assertentis, *Regem Galliæ nulli in profanis esse subiectum*, nil aliud concluditur, quam quod hæc assertio sit historica, secus omnia in Decretalibus contenta habenda essent de fide. Circa tertiam propositionem, cum in quibusdam casibus Pontifex in Regum sceptræ potestatem habeat, contraria opinio præpostere velut de fide proponitur, sed vix problematica dici valet,

cum

*Hist. du  
Parlem. c. 46;  
Calmet hist.  
Univers.  
lib. 151.*



Sæc. XVII. „cum ea omnino nova sit, Luthero &  
A. C. 1614. „Calvino fautoribus nuper nata: Porro  
 „Galliæ Reges, dum throno inaugurantur,  
 „Sacramento vincuntur pellendi  
 „Regno suo hæreticos, ergo si juratam  
 „fidem, in hæresin prolapsi, frangerent,  
 „si hæresiarcharum fautores, si novi  
 „dogmatis assertores efficerentur, si  
 „Ottomanicæ superstitioni nomen da-  
 „rent, nonne ad Christi Vicarium per-  
 „tineret, perjurii pœna & Dominici  
 „ovilis custodia. Hæc communis omni  
 „ævo fuit sententia, & hodieum ubi-  
 „que est, excepta Gallia. Ipsi quoque  
 „Gallici Doctores, qui hanc Pontifici  
 „potestatem denegant, nunquam suam  
 „opinionem pro dogmate fidei vendi-  
 „tarunt, sed veram & politicam dun-  
 „taxat asseruerunt. Exemplis etiam  
 „plenæ sunt Historiæ: sic S. Ambrosius  
 „Theodosium Imperatorem anathemate  
 „perculit, Euphemius Patriarcha Con-  
 „stantinopolitanus Anastasio obsequium  
 „negavit, acriter eidem Symachus Pa-  
 „pa restitit, Papa Clotarium Galliæ  
 „Regem, Justinianum II. & Philippi-  
 „cum Imperatores punivit, Gregorius II.  
 „Leonem Isauricum Iconoclastarum fau-  
 „torem imperio dejecit. Sic Romana  
 „Sedes Carolum Magnum ad Occiden-  
 „tis Imperium evexit, Childericum,  
 „substituto Pipino, regno dejecit, Phi-  
 „lippum I.



„lippum I. ab Ecclesia semovit, Hen- Sæc. XVII.  
 „ricum IV. Cæsarem, Philippum, Joan- A. C. 1614.  
 „nem Othonem, Raimundum Tolosa-  
 „num, Fridericum II. Petrum Arrago-  
 „nium & Petrum Castellæ Regem ob  
 „hæreses, aliaque crimina anathema-  
 „tis poena multavit, subditosque fidei  
 „Sacramento solvit, agnoscens tamen,  
 „quod nullam in eos haberet potesta-  
 „tem, nisi ei data esset desuper. Post-  
 „modum Perronius Theologos & Jure-  
 „consultos non modo exteros, sed &  
 „Gallos, proin minime suspectos longe  
 „serie producebat, ex quorum testi-  
 „moniis comprobatum reddebat, quod  
 „Papa juxta eorum sententiam lapsis in  
 „hæresin Regibus, vel fidei hostibus  
 „communione interdicere possit & Re-  
 „gno: absurda igitur est sententia, quæ  
 „contrarium velut *de fide* promulgat,  
 „cui veterum subscripsit nemo, recen-  
 „tiorum ex Gallis pauci: unde ad sum-  
 „mum tanquam thesis politica defendi  
 „posset problematicæ (\*).”

HIS

(\*) Cum enim Reges nec ab inauguratio-  
 ne nec a fide Orthodoxa, regiam habeant po-  
 testatem, & antiquis temporibus etiam Chri-  
 stiani Ethnicis & hæreticis Principibus obse-  
 quium præstiterint, ac ipsa Religio vim legum  
 civilium haud enervare videatur, proin ali-  
 quis



Sæc. XVII.

A. C. 1614.

„His subjungebat Perronius, quod  
 „hic error primum Henrico VIII. An-  
 „glia Regi viam aperuerit ad schisma,  
 „& usurpanda Sedis Apostolicæ jura;  
 „hæc nova quoque opinio non aliud  
 „præcinat, quam apertam rebellionem  
 „in solium Petri: non autem nova o-  
 „pus esset condemnatione, aiebat Car-  
 „dinalis, quia jam diu hoc dogma,  
 „uti de fide orthodoxa proponitur, Apo-  
 „stolico rescripto damnatum, & ut hæ-  
 „reticum est pronuntiatum. Tolerat  
 „igitur Clerus Gallicanus, hanc Thesi-  
 „problematicè defendi, quo fiat satis  
 „& Ecclesiasticæ, & profanæ auctori-  
 „tati, de cetero non ea mens esset Regi  
 „Christianissimo, ut Sedi Apostolicæ  
 „obluctari velit, neque sub tanto Rege  
 „timenda forent interdicta, qui nedum  
 „Ecclesiæ Filius, sed & protector &  
 „liberator esset, haud ignarus, quod hæc  
 „thesis Salmurii & in Anglia ab Hugo-  
 „nottis fuerit eo fine excogitata, ut  
 „Franciæ Ecclesiam ad idem schisma  
 „& ita-

quis etiam in hæresin lapsus adhuc hæres cen-  
 featur Patris sui, multique Pontifices non fa-  
 eris fulminibus, sed precibus monitisque per-  
 versos Principes ad Saniora reducere conati  
 sint, censentes, non semper expedire, quæ  
 fors licent, hinc merito Perronius hanc Sen-  
 tentiam ad problema revocabat.



„& statum, in quo Anglicana Ecclesia Sæc. XVII.  
„gemiscit, redigere.

A. C. 1614.

§. XLV.

*Tertii Ordinis responsum ad Perronii Cardinalis orationem.*

Aboluta Perronii Cardinalis oratione *Calmet Hist. Univers.*  
Tertii Ordinis Oratores pro sua thesi, *l. 151 pag. 257.*  
quicquid ex antiquitate Historica aptum, invenire poterant, studiose conquirebant, præprimis recens quoddam rescriptum proferentes, quo trecentis abhinc annis in Franciæ comitiis declaratum fuit, quod *ab omni tempore dicatur Galliæ Regnum Deo uni subditum in temporalibus.* Hanc vero opinionem suam variis confirmabant exemplis, ac doctrinis, asserentes, Christum diversas a gladio habuisse claves, Petrumque fuisse jussum, mittere gladium in vaginam, Ecclesiam in volentes suum exercere imperium, plebeios in idolatriam lapsos non spoliasse bonis suis, minus ergo Reges. Christum respondisse Pilato, Regnum suum non esse de hoc mundo: Christi ævo tyrannos fuisse Cæsares, & tamen Christum dixisse: *Reddite Cæsari &c.* Martyres in Tyrannos, qui eos ad Idolorum cultum impulissent, non fuisse grassatos: Principibus etiam discolis deberi ob-

*Hist. Eccles. Tom. LV.*

U se-